Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

[Materialien zur Rechtsgeschichte der Stadt Bremen] [CIM I 102]

[Bremen], [17. Jahrhundert]

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-90089

Visual Library

Discursus de Republica Bremensi

PROOEMIUM.

Turpe semper et probro habitum fuit in Republica versantibus, jus in quo versantur ignorare [a]. Quod nos non de privato tantum jure, quo litigatoribus jus reddit, sed inprimis de jure illo publico accipimus, quod ad statum civitatis universum pertinet, et quo is sartus tectus conservatur: Cum publicum jus tantum privato præstet, quantum privatorum parietibus urbs tota, et singulis universi. Quomodo enim, convenienter tegens adversus Sacratissimum Cæsarem, aut adversus Archiepiscopum Diecæseos caput, aut adversus vicinos, quibuscum nobis rerum permutandarum commercia interdum etiam foedera et bella intercedunt aut adversus cives ac subditos, qui tui ordinis fidei se crediderunt, si non intelligas, quid patria Cæsari et imperio,

quid Archiepiscatui, quid denique Civibus ac subditis debeat? quid quod jura ac libertates, quas à majoribus accepimus, oppositu Corporum fortunarumque omnium partes et conservatas ad posteros integras illibatasque transmittere non possumus, nisi quæ eæ sint vel non Cognitum perspectumque habeamus. Operæ pretium ergo facturos nos esse judicamus, Si patriæ jura, libertates, et immunitates, adeoque statum universum quodam discursu velut tabella complectamur, nobisque ipsis et Collegis adeoque posteris: Ut enim Discursus ad alios evulgetur in mentem nobis nunquam venit: quasi ob oculos ponamus. Ne quis tamen disputationes has in suspicionem vocet, quod ad Reverendissimi Illustrissimique Archiepiscopi Contemptum pertineant, testatum facimus, eis, quæ de Archiepiscatu inter Cætera hic disserunt, dignitatem Archiepiscopalem non Convelli: Sed tantum à juribus Civitatis secerni: Et hoc potissimum ideo, ne majorum pietas, qua Archiepiscopali Camburcæ modo quodam se submiserunt, libertati et dignitati patriæ fraudi sit, agi Cæterogum nos dignitatem Archiepiscopalem sacro sanctam esse velle, Cupereque et exoptare plurimum, ut patria eo statu, quo in multa

jam secula partim sub Imperatoribus et sacratissimo
Imperio, partim etiam sub Archiepiscopis usa est,
tanquam optimo florentissimoq, et moderatissimo
imposterum etiam quam diutissime tranquillissi-
me et felicissime utatur fruatur. Non facile
enim Civis bonus autor fuerit, ut de statu, quem
florentissimum patria experta est: quamdiu
saltem hominum temporumve injuria id non
expresserint: imovando cogitetur, sed potius ut
Civitatis fundamenta, quæ majoribus profuerunt,
accurate santeq observent, et erroribus abusibusq,
qui irrepere cognoscuntur, tanquam nebulis dis-
cussis, omnia subinde ad sua principia revocent;
Imo persuasum nobis habemus, fore, ut si ipsos Archie-
piscopos ferre oporteret judicium, vix diffiterent,
sibi hinc plus honoris et dignitatis accedere, quam
decedere. Tanto enim quis dignior nobilior et ho-
nestior est, quanto digniores nobiliores et honestores
illi sunt, quibus præest. [b] inquit Imperat. in Auth. de
Cete æquum est, et honorificum, Principem eos, quibus
præest in eo statu, quo reperit, conservare. [c] Tribuatur
ergo Archiepiscopis, quod ipsorum est, et maneant jura
Civitatis integra, sarta, tecta.
Cæterum omnia ad juris rationem exigere studui-
mus, magnopere enim nobis placet, quod Joh. Bodinus [d]

scriptum reliquit, eos qui de Republica sine legum ac juris scientia disserunt similiter facere, ut qui nullis omnino jactis fundamentis ædes altissimas moliantur. Id certe pollicemur, à fabulosis sollicite et sincere nos abstinuisse, nec quicquam /: quod quidem ipsi sciamus :/ adseruisse quod non monumentis seu tabulis quas amorum numerus prodit aut probæ notæ Historiographis, quos Citavimus, nitatur.

Qui vero de nobis existimabunt, nihilominus de patria nos plus vel minus scripsisse, quam par erat, eos rogatum volumus, illud amori patriæ, quo facile etiam prudentiores abripi possint, hoc vero veterum monumentorum penuriæ et ingenii tenuitati tribuant.

Illud etiam hic Coronæis loco monendum duximus, etsi metam discursis /:/ disputationis interdum transilierimus ad historicas rerum singularium narrationes progressi id tamen consulto et quidem gravibus de causis factum esse. Cum quod non una tantum aut altera Circumstantia sed integra rerum series, disputationes, quas instituimus luculentius fiemare saltem majorem eis fidem facere fuerit visum quod necdum Historiæ Bremanæ absolutum corpus habemus, quo lector Circumstantiarum et eventuum avidus remitti queat. Proinde nobis persuademus neminem nostrorum narrationibus quibusdam prolixioribus et extra discursuum limites liberius aliquanto evagantibus facile offensum iri.